

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 79.

Elysum-Meum.—Die Martis 13 Oct. 1809. (Neov. 27. Oct. 1809.)

Animadversiones de restrictionibus rei commercialis Angliam inter & Galliam.

Non ut olim, Mercatores S. R. Imperii, sed Mercatores Angliae!

Nuper admodum Gallia in declaratione Americanis facta mentem aperuit: „se suas agendi rationes abrogaturam, ut primum Angli suas adversus commercium reciprocum imperiosas agendi rationes aboleverint.”

Verum Anglia externum Galliae commercium imminuet, ad incitas rediget — hoc in parte ei succedet, at una damnum in æquali ratione infert commercio gentium cum Gallia nexu commerciali cohærentium; & hic ratio cubat: cur Anglia hac agendi ratione sibi ipsi tantum noceat, quantum hostibus suis. — Plena inconvenientia Systematis: restringendi commercia, duabus ex relationibus se manifestat. *Ex una parte:* Angliæ finis evertitur: quod nihilominus eadem negotia *in parte* ut ante continentur, solum aliquot plus minus notabilibus impensis, sumtumque erogatione, aliquo temporis, & difficultatum impendio, (cum sit, ut ajunt, *modus in rebus, jam per fas, jam nefas*) *ex altera parte* agit omne damnum, partim *indirecte* ex quibusvis his, in necessitate subsidiis, & quæstionibus,

condemnationibusque navium, partim ex his ipsis *directe* ortum, in Angliam reciditque. —

Quod prima memorate ratione Britannis decedit, profecto non minus momentorum est, quam damnum, quod ab ipsis hostibus, *neutralibusque* infertur. — Multajam experientia tulit de multifariis viis mercatorum systema adprehensionis, suorum pressorum evitandi; at cunctis hæc, necessitatis tempore, mutationes in negotiorum cursu inevitabiliter sumibus, detrimentoque junguntur, ipsa maxime communis belli, & adprehensionis sequela est: quod mercator in belligerante, & mercator in neutrali regno suas functiones intuitu commercii cum propriis mercibus, & quod *ergo commissionem exercetur*, permutent. Exemplo res illustrabitur: Merces, quas alias mercator Gallus ad Hafnensem, aut Hamburg. *Commissarium* suum transmittere (consignare) solebat, has idem ille hæcenus *Commissarius* Hafniæ, aut Hamburgi *ad proprias rationes* adferendas curet, tum destituitur hic *fundo*, quo commercium semper majore opus habet, quam quod vocant, *commissionis*, ejus adjuncta non eo sunt loco: ut ancipitem *speculationis* aleam sustinere valeant — is in suis, quos habet, *nexibus* generatim *Creditum* sibi procurare admitendum habet, & ad id *ars* opus est, in specie: prior *committens* ejus, amplam fidem (*creditum*) ei largiri debet, & quamquam hic ad *negotia* sua in parte salva præstanda, levi pretio vendere debeat, id tamen *ære* in parte solvendum est, contra

committens huc usque in Gallia redundantem summam pecuniariam (fundum), partim inutiliter jacere sinere debet, partim aliis minus luerosis in regno negotiis adplicare, partim suo ad hoc tempus *Commissionario* Hamburgi erga creditum, aut *solutionum terminos* interea pro usu relinquere; ejusque vice erga mandatum, (provisionem) emtionis curam gerere. Hisdem inconvenientiis, mutatis mutandis, *Commissarius* Hamburgi patet, qui cæteroquin emtionem pro Gallica mercatorum societate procuraverat, & nunc germanicas merces ad proprias rationes expediendas, atque depositas custodiendas habet, Gallicaque mercatoria demus quæ has merces in *Commissione* debet, quas alias Hamburgo per mandatum procuraverat.

In summa: subitò in *neutralibus* regnis novæ pecuniariæ summæ creandæ sunt, ut id ad proprias rationes proouretur, quod alias medio *Commissionis* perficiebatur, hinc immixtum lucrum, & damnum ubivis. —

Detrimenta quæ naves condemnatæ, & oneratæ percipiunt, damnum, sumtusque, quos *quaesitationes* accersunt, sumtuum dilationes, multiplicesque molestiæ, & detrimenta, quæ ex adductis, per adjuncta subsidiis in necessitate, negotiis commercialibus infliguntur, omnia hæc generatim grandem commercii mutationem produunt; quippe: ubi frequentiores majoresque jacturæ majora pericula, difficultatesque, & sumtus in negotio aliquo intercedant, inevitabiliter negotia

in notabili ratione decrescunt. Una igitur vice *positivum* damnum detrimentumque in rerum proprietate, & negotiis, quæ jam locum habent, & tum impeditum æquitur lucrum in negotiis & mercium transpositione, quæ locum habitura fuisset. — Juristæ dicunt: *damnum emergens, lucrum cessans*. Utroque ergo ex respectu magna quantitas negotiorum communi commercio eximitur, & hic defensus exporrigit se ad omnes ramos ejus in majore, jam minore ratione, & ad omnes quarum interest nationes; Anglia in hoc universalis commercio, utpote summa totius externi (subjective pro singulis regnis, externi) Commerciis omnium regnorum, toto omnium inter omnes gentes Commercialium nexum, Anglia inquam multo magis, quam ullus alius status emolumentum habet, quapropter summo opere dementer agebat, quod ad imminutionem externi commercii solertissimam operam contulerit.

Si Britannico præpondio maritimo certi commerciales Galliarum rami, partim ex integro diruti, partim admodum diminuti sunt, eadem ratione in *neutralibus* regnis si commercii rami damnum patiuntur cum gallico commercio connexi, in *neutralibus* regnis itaque in certis occupationum & sustentationum partibus modus promerendi deoedit, aut imminuitur, minor distractio mercium efficitur, regnum in quadam parte opificiorum detrimentum patitur, ejus facultas *generatim* emendi imminuitur, in specie minus Anglia quoque

emere potest. Isthoc loco non eorum minorum Statuum *neutralium* puucorum mentio facienda, qui sat conspicuis *capitalibus* summis, & ampla navigatione occasione bellorum ab aliis gentibus gestorum commercium suum promouent, quales urbes Hansiaticæ, Dania, nonusquam & Hollandia — hodie quoque America borealis, quæ tamen ad usque in commercio Europæorum Statuum *inter se* (cum exclusione commercii Colonialis) nondum notabilem personam egit; verum memoris subeant alii *neutrales* Status: Polonia, Russia, Turcia, Portugallia & c. p. — Continuo admodum ampla pars commercii belligerantium, prola & cum iis commercium exercentium gentium perit. — Aliqua pars earum, ad aliquas *neutrales* secedit, at potissima pars ex integro interit. — Hac ratione detrimentum, quod Anglia Gallicano commercio accersit, continuo recidit in Anglicanum! Res hæc perspicua redditur si aliquorum commerciali-um negotiorum cursus expendatur — exemplum alterum perquam simplex, complicati-us alterum, nequaquam tamen ex intricatissimis, rem clariorem reddet. —

Mercator Tergestinus merces Lugdunenses adferri curans, easque Monachium expediens cum proventu hujus negotii Thessalonicæ & Smyrnæ Levantinum emit gossipium, quod Anglis vendidit, ab iis merces Manufacturales emens. Mercatores Græci Thessalonicæ & Smyrnæ cum promerita pecunia, quam ex mercibus Tergestino venditis perceperunt.

& que minutas merces, aliaque fabricata, quæ
 Anglicanæ societates ad eorum mundinas in-
 lere, percipere solebant. Monachienſis omni-
 lucro ex sericeo quæſtu redundante, *secunda-*
rium adnectere solebat negotium, vina Rhena-
 na, aliasque Hollandicas merces ex, & per
 Francofurtum percipere; hoc distraharum
 mercium proventu Francofurtensis hic, vina
 Rhenana, & pruna Francofurtensia emit, quæ
 Hamburgum expedit, ubi venditarum merci-
 um Summa rursus in Anglicanarum Coloniali-
 um mercium emtionem convertebatur, hac
 ratione extimih rami, qui Lugduno proma-
 narunt, complicati hujus negotii, in Angliam
 iterum conflant, uno jam negotii satensæ hu-
 jus anulo rupto, totum collabitur negotium,
 & Anglia perinde duplicis jacturam fert, quod
 percepit lucri. — Dantur tam multifariæ viæ,
 per quas quævis commercii destructio Angliæ
 capiti incidit. — Evehi solet partim ex Anglia
 ipsa, (quantumvis occasione exportationis se-
 cundæ, telonialis præstatio reducenti nulla
 compensari soleat,) sat notabilis quantitas al-
 borum, prælo non subjectorum, gozipinorum
 textorum (Callicæ) gozipinaque fila, præci-
 pue vero ex Britannica orientali India. Hæc
 texta Hamburgum feruntur, alias quoque in
 Hollandiam, in qua urbe, & Augustæ prælo sub-
 jiciuntur, fila vero diversis grossis, delicatis-
 que texturis adplicantur, quæ postea hispa-
 nicam in Americam expediuntur. — Jam com-
 mercio in Americanam Hispaniam per Bri-
 tannos intercepto, & promerendi modus ipsi

Magnæ decedit Britannia. Negotia commercialia, utut spatiosa decurrant, postremum denique semper concurrunt cum Anglia. — Belli tempore Gallici Mercatores e. g. multo minorem vini & frugum quantitatem *ad proprias rationes* expedire possunt, Germanici mercatores jam sufficienti Capitali summa destituentur, quominus omnia *ad proprias rationes* adferri curent.

Dum hæc ratione magna pars negotiorum commercialium cessat, totus sequens commercialis cursus evertitur. Hamburgensis aut Tergestinus, ad quem merces hæc expeditæ, vina & fruges hæc, vel in foro homini, qui eas depositas retinuit, aut secundum conjecturas emptiones instituit, quasque rursus Berolinam, Lipsiam, Vratislaviam, Vindobonam, aut Budam expedit, aut mercem directe mercatoribus illorum locorum vendit. —

Effectus ultra se exporrigunt — Mercator, exempli gratia in exigua quantitate, & ejus socii, qui in his negotiis *accessorium* merendi modum habent, emunt aut Anglicanas, aut alias merces a talibus hominibus, quorum ulterior alia distractio mercium iterum ex Anglia provenit. — Hæc ratione ubivis commercialia negotia centuplici modo concurrunt; effectus consistentis, aut destructi commercialis negotii computari nequeunt. Fieri non potest, ut omnes canales disquirantur. Id genus commerciorum perturbationes citè quaque produunt, & in remotissimis distantis perniciosam actionem suam; diminutus merendi modus, diminuta mercium distractio, iminuta confusio, restricta res familiaris, sunt effectus, sequelæ, & iterum causæ deficientis commercii, & is plurimam jacturam patitur, qui plurimum vendendum habet, ubivis minus venditur. — Per sexcentos gyros te diffundit omne materiale in universali commer-

cio per omnes provincias & semper plurimum recidit in maximum commercialem Statum — *Angliam.*

Non perniciosam minus actionem exerant convulsione Commercii in Europa in facilitatem perfolvendi mercem, quæ ad lucrosam negotiorum tractationem mercatori summi momenti est. — Solutiones *cambiales* sæpenumero efficiunt uberrimam Commercii ultro citroque se explicantis amplificationem, mercator tum demum piecum integrumque suum emolumentum percipit, cum impeturbare ad quemvis sibi opportunum visum locum, ratione, quam commo-
dissimam arbitratur, *trassare & remittere* potest. *Campso-*riales, quæ sæpe per longissimos regionum tractus circumferuntur, quasi in vastissima orbita, una personis multis admodum ampla largiuntur in solutione pecuniarum emolumenta, curantque gnaviter mercatores, ut hæc emolumenta in rem suam convertant. Hoc de regione in regionem, de loco in locum vadit, dumque & quando hoc impeditur, detrimenta id genus *adhaerentiae*, prout in quovis commerciali cursu, in multifaria parte sentiuntur.

Britanniæ scopus, commerciales nexus reliquarum nationum, quantum fieri potest ab hostibus suis: Gallia, Hispania, Hollandia quoque abducendi, sibi quoque soli applicandi, mediaque ad eum obtinendum: frequentia cum his Statibus *bella*, semper frustanens futurus est. — Ipsa jam natura adversatur. Gallia tam multa *producta* habet, quæ Anglia partim numquam, partim prorsus non, partim non sufficiente cum successu sibi vindicare poterit. Anglia numquam vina, fruges, oleum aliaque australia *producta* producendo erit. Gallia colit sericum, imo & gospium (hujus Cultura hodie incipit) partim domi suæ in provinciis maxime australibus, partim ea percipit ex proxima sibi Italia, & hoc quidem via multo brevior, quam Angli, ex regione Levantina. — quare quovis tempore in fabricatione sericearum mercium *dirimentem* maxime *praerogativam* prae Anglia vindicatura est, cum proximitas loci, & arctissimi commerciales *nexus* crudum materiale summa emolumenta ei procurent, ex quo sequitur, eam in fabricatione gospinarum mercium quoque Angliam prospere successu aemulaturam.

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 79.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 17 Oct. 1809. (Neov. 31, Oct. 1809.)

— — — Ubique
Luctus, ubique pavor.

Virgil.

Confabulantes Umbræ.

Germania. — *Unus ex Penatibus.*

U*nus Penatum.* Formido malum, Mater! formido, omnes nihil boni omisamur.

Herm. Quæ formido? quod omen? —
an ignoras esse pacem? —

Penat. Quem hoc lateret? dilecta Genetrix! Ita est, ita, pax est; quid ex nobis fiet?

Germ. Semper tutelares familiarum, provinciarumque manebitis — pace sola Penates pristinis suis functionibus restitui poterant; ea hodie adest — nolite quærere anxii, ut ea comparata sit, — bene ei dicite, & hilari animo este.

Penat. Mater! tam frigido nos animo in caram patriam ferri, tanto nostri amore teneri arbitraris? nos moeremus, solatium apud te quærimus, — & tu! —

Germ. Volo solari vos — audi, sis, princeps Penatum! excipe, quod tibi pro solatio dicere valeo: — adversi casus, qui integram

gentem afficiunt, plerumque non vacant propria ipsi culpa; ejus vitium est, quod crucietur. Fit, ut singulares mala afficiant, quorum auctores alii homines, at vero integre gentes quæ culpæ experte animo legem libertatemque custodiunt, malis tantum corrigi possunt, quæ opus naturæ, & nulla humana prudentia prævideri possunt. Damna quæ nationes ferunt, indicium sui carcinomatis quo gens universa laborat, — si gentes callent, ubi morbus sedem habeat, dum spes quoque affulget, malo eas remedium allaturas; hæc ratio est: quod quævis eximia, æstimationeque digna natio salva ex procellis, quibus exagitabatur, postliminio prodiderit.

Quantumcunque malum sit, non est ut animum despondeat. Robusta ejus natura, nobilis animus, ejus promptitudo decernendi cuncta vincit quæ horrida eam corrigunt. Non desperat de se ipsa, & is, quem, totus si illabatur orbis, impavidum feriant ruinæ, is inquam salvus jam est. Is fortuna ipsa præstantior, potentiorque est eo, quod hostiliter eum contere minatur. Animositas constantiaque non honorem modo genti, verum & salutem ferunt.

Gens, quæ adversa fortuna usa est, novit sinistram fatum suum ex defectu unionis, alacritatis & patriæ amoris promanare; singularem hominem non semper experientia emendabit, at gens tota, quæ Scholam infortunii subivit, quod ratio in ea dominetur, etenim non id, quod levi mente præsentia

pervidet, seque frustioni dedit, gentem efficit, sed quod nobili & proba ratione vulnere indagat, quæ fatum patriæ infligit, quodque incunstanter iis medendo operam dat, gens adpellari debet, quemadmodum icantis, vacua, & artificiosius verbis consarcinata blateratio Philosophia nuncupari nequit, ita levis turba, gens nequaquam dicenda est. — Hæc tempestate prætereunte renascitur, at illa perseverat in sua contumacia, quin cogitationem adoptet excelsa eximiaque evadendi ut homo, libertatem fortitudinemque, qua civis adipiscendi. — Sinistra fortuna quosvis probos viros conjungit, illucenteque ferendæ salutis articulo, manus mutuo sibi porrigunt, sacramentumque nuncupant: jus sancte custodiendi, constanterque promovendi, quod omnibus conducit, solerti opera connitendi in argumento voluntatis scientiæque, nec usque quiescendi, quo sancta lex universis moderetur, omnium sortem dirimat. — Id genus viri nullo unquam tempore fide in humanitatem destituuntur; inque lætiores germinationem ejus quod ei faciendum incumbit. — confidunt hominibus, quod se emendaturi, prudentioremque rationem initari sint, credunt communi humanæ rationi, quæ se in nihilum redigi nunquam sinit, verum eo potentius prodit, ut primum articulus temporis edest, confidunt Numini, quod juste arbitratur, sapienter moderatur, omnia ad optimum dirigit finem. His viris gens constituitur, neque unquam natio interit, in qua singuli hanc cogitandi rationem prodidere.

(300)
Penat. Hæc amata genitrix! verba consolationis, opprobrium vulnere moerentis sunt.

Germ. Prout fata hominum, ita & sortes Statuum in libro providentiæ adnotatæ habentur. Patria nostra exacta octodecimall sæpe interrupta, rursus coepta lucta eo pervenit, ubi meta ejus renitentia posita erat. Nihil amplius profligandum restat, quod adhuc supererat, armis succubuit. Jam nunc quies, diuturna quies ob defectum possibilitatis renitendi consequitur: & sola quies est, quæ Penates, provincialium, & familiarum tutelares priori activitati restituere valet. Securi posthac patres familias Germani officia sua exercebunt, nullum bellum Germaniam deinceps conturbabit, quod resistentia mente percipi amplius nequeat. Nunquam Germaniæ ridentes segetes hinnientes concubant equi, florebut ex utiliter, nec ingratus hospes sylvas devastabit, agros depascetur amplius. Messis integra familiæ obtinget, industriæ cultus præmium manebit. Codex legum peregrino antea idiomate scriptus, doctis solum intelligibilis, patria lingua vulgabitur, quivis in eo juris decisionem sui reperire, causæ suæ consulere ex eo poterit. — Jus Romanum est, quod tamdiu apud omnes gentes auctoritatem adeptum, ob defectum ignorantiamque latinæ linguae obscurum iis erat, brevibus capitibus intelligendi gratia congestum. — Aequalitas legum, uniformitas præstationum, absque discrimine, olim quæ obtinuerunt, exemptionum,

& privilegiorum, aliud est beneficium novi re-
rum, qui hodie panditur, ordinis. — Fortassis
bellum isthoc ultimum in Germania erat; fors-
itan pax hæc perpetua, pax tam anxie quæ-
sita, tam ardentibus multorum votis expetita
in Germania erit. Erat quidem tempus, quo
Germania plurimis Europæis Statibus princi-
pes suos imperantes dedit; momentosus hic
eventus multa germanicarum virium impensa
stetit; omnia fluxa sunt in hoc orbe; domi-
natus prærogativæ migrant in eo, ut cæmmerci-
um, scientiæ, & artes. Hodie alius Status hanc
præcedentiam vindicavit, alius Status Euro-
pæis ditionibus imperantes ex sua Dynastia
præbet. — Omnia in hoc orbe mutationi pa-
tent. — Germania hodie est — foederativus
Status, Systema Civitatum, unica felix regimi-
nis forma, si ea potente, ut hodie obtinet,
præsidio defendatur. Gaudemus itaque de
præsentibus duabus, occasione adversitatis ad-
prehensis prærogativis: diutina quiete
ex defectu renitentia, atque civili vitæ ad-
commodata æqualitate in committenda Theu-
tonica gente, — Hæc sunt, quæ Germanicis
Penatibus, fratribus tuis, pro consolatione nun-
ciare potus, dicito a Germania, hodierna Ger-
mania, hanc illis mitti consolationem.

Penat. Bene est! optime est! lubens eam
aununciabo; memorabo fratribus meis, hem!
ut gestient! ut lætabuntur! festino.

Germania postmodum Germanicas manu
adprehendit Ephemerides, & seqv. legit:

Parisiis die 26. Oct. Monitor hodie nunciatus
Constans ex Præside perpetuisque Secretariis
4 Classum Instituti Collegium (Sury) quod
ab Imperatore mandatum accepit referendi de
scientificis artisque operibus, dignis decernere
ad præmia concurrendo, nudius tertius Excel.
ministro negotiorum interiorum relationem
fecit.

Eadem pagina Excerpta textit ex Angli-
canis Diariis usque 7. Oct. quæ quibusdam
animadversionibus illustrat. In una harum
in relationem Anglicani scriptoris: Imperato-
rem serio ægrotasse in Fonte Bellaqueo (Schön-
brun) videri, hæc memorantur: Imperator
nunquam ægrotabat, nec levissima tentaba-
tur valetudine. Archiater Corvisart Bello-
fontem profectus quidem, quin ejus opera Im-
perator egeret. Indicia dissenteriae in exer-
citu adparebant, in quo argumento senten-
tia principis Medici optabatur. Indicia pro-
spere; & velociter præterire. Interea quo
falsus de valetudine Imp. rumor spargebatur,
50 horarum pene iter uno die emensus est., „Al-
tera animadversio sic sonat:” Hoc nuncium
(Gallorum adparatus in Sud Bevelandia ad-
modum deficere; viderique: Napoleonem co-
pias a Scaldi ad Danubium avocasse) pau-
xillo ridiculum est; quis bellicas adversus Au-
striam, & ad Danubium vires insufficientes,
Antverpiaque advocandas crederet? — Octo-
ber, Novemberque exitiales in Insulis Ze-
landiae menses sunt, proin natura rei loqui-
tur: Gallicos Duces exercitum Anglicanum

impedita & ignorantia perditum ibidem sorti
sue relictuos, interea quo stationes suas ad
benigniora salubrioraque loca traducunt."

Vindobona die 21. Octob. Hari a meridie
seqv, Edictum promulgatum est: „Publicæ
hiscce notitiæ datur: permutatationem Ratifica-
tionem pacis inter S. Maj. Imperatorem Au-
striæ, Hungariæ, & Bohemiæ Regem; & S.
Maj. Imp. Gallorum & Italiæ Regem conclu-
sæ hodie ante meridiem locum habuisse. Vien-
næ die 20. Octob. 1809 Subscr. *Rudolphus C.
a Wrba Cae. Regius Austriacus plenipotentiatius
aulicus Commissarius,*

Parisiis 27. Octob. Nudius tertius plus, quam
60 Ciuitatibus litterariis artisque operibus ex pro-
vinciis novissimo bello occupatis isthuc ad-
vectæ.

Sua Maj. sequens Decretum edidit: Napo-
leon Dei gratia &c. Districtus Villach, Carni-
olia, Austriaca olim provincia Istria, provin-
cia Fluminensis, Tergestina sub nomine lit-
toralis notæ ditiones, pars Croatia, & quid-
quid in dextra Savi ripa cessum est, Dal-
matia cum aditis Insulis — adpellationem
deinceps Provincie Illyricæ consequentur.

(Illyricæ provincie numeram Incolarum
unius millionis efficiunt, utpote: Districtus
Villach. 108 □ miliaria, Incol. vero 117815.
Carnolia 233 □ 433 000 Incolas; Tergestum,
Flumen, Luorale & Istria 32 □ & 90,000
Incolæ; Croatia Trans-Savana circiter 80 □
cum 200 Incolarum millibus; Dalmatia cum
adnexis, Incolas 370,000 complectitur,

Altero Decreto D. Status Consiliarius
Douchy Procurator (Gen. Intendens) rei ærariæ
in provinciis Pace Viennensi cæssis Illyricis
denominatur.

B I O G R A P H I A.

Penates. Hoc nomine insigniebantur tutelares genii, curam familiæ, imo provinciæ integræ & urbium gerentes, quamobrem eos in majores, & minores eos dispescere placuit. Ratio eos repræsentandi variat. Ipsi viventes adhuc ad dignitatem Penatum elati. Moris erat in eorum templo Romæ, in quo statuæ eorum conditæ erant, ista foedera confirmare, ad indendum ea solemnitate iis sanctitatem.

Germania. Quis ita peregrinus, & hospes, ut veterem non noscat Germaniam? hodie junior reddita Germania cum tempore primo adumbrari, vitæque ejus describi poterit.

In hac Typographia Belnayana novissime
praelum deseruerunt.

Principia Politicæ, & Rei ærariæ &c. latine
reddita a Volfg. Beke, Tomus III. 2 fl.
(totum opus 6 fl.)

Schelle Historia Univ. latine Tomus II. 2 fl.
30 xr. (totum opus 5 fl.)

Georch (Eliæ) Jus patrium, Tomus III. 1 fl.
15 xr. (opus totum 5 fl.)

iliarlus
ei æra-
Illyri-

ur tu-
vinciæ
m eos
re pla-
Ipsi
elati,
n quo
a con-
te iis

ospes,
hodie
primo
t.

ssime

latine
2 fl.
2 fl.
1 fl.



—
S

EL

A

S

su

d

ja

h

q

P

H

K

cl

t

n

t

n

a